

Kern 3491
(1-74)

5492



DE
INFECTIONE VENEREA
IMMINVENDA

CONSENSV
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA FRIDERICIANA
PRO OBTINENDO
MEDICINAE DOCTORIS GRADV
DIE III. NOV. MDCCXCIV.
PVBLICE DISPVIABIT
AVCTOR
ERNESTVS FRIDERICVS WVTTIG,
WRATISLAVIENSIS.

HALAE,
LITTERIS TRAMPIANIS.

INSTITUTIONE VENERANDA

IMMUNITAS

I. O. MORGENBESSER

II. O. MORGENBESSER

III. O. MORGENBESSER

IV. O. MORGENBESSER

V. O. MORGENBESSER

VI. O. MORGENBESSER

VII. O. MORGENBESSER

VIII. O. MORGENBESSER

IX. O. MORGENBESSER

X. O. MORGENBESSER

XI. O. MORGENBESSER

XII. O. MORGENBESSER

XIII. O. MORGENBESSER

XIV. O. MORGENBESSER



V I R O

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO,

EXPERIENTISSIMO,

I. G. MORGENBESSER,

MEDIC. AC PHILOSOPHIAE DOCT.

ANAT. ET ART. OBSTETRIC. PROF. PVBLIC. ORDIN.

REG. COLLEG. MED. ET SANITAT. DECANO;

CIVITAT. WRATISLAV. PHYSICO

ETC.

PRAECEPTORI ATQVE FAVTORI

SVMME VENERANDO

SACRVM

VVLTV

AVCTOR.

V I L L O

LETTRE DE M. DE LAUNAY

À M. DE LAUNAY

I. G. MORGENBESSER

MILITÄR AT BRESLAU
AMT ST. ANTONIEN
UND BRESLAU

CIVILIAN WARTHAU

1777

TRAJECTORIEN

SYMME VERBAND

SACHSEN

1777

A V O T O



DE
IMMINVENDA INFECTIONE
VENEREA.

Tanta fuit aegritudinum venerearum, genus humanum flagitantium, vis et efficacia, ut, vix fere ortis, omnia in eo jamjam dirigerentur medicorum conamina, pessimum istud malorum remediis prophylacticis avertendi. Primi autem omnium fuerunt *Ioannes Salicetus* sive *Widmann^a*) et *Caspar Torella*, quos secuti sunt *Ioannes Almenar*, *Iacobus*

a) *Henslers* Geschichte der Lustseuche. 1. B. Excerpt, p. 26. seq.

bus de *Lacu marino*, *Fallopium*, *Ettmüller* aliique: Nec non recentiori aevo horum vestigia prefferunt artis medicae magistri, inprimis vero *Astruc*, *For-dyce*, *Hunter*, *de Horn*, *Nisbet*, *Girtanner*, *Perenotti di Cigliano* aliique. Multi multa commendarunt remedia et specifica, et Charlatanismi nullus erat finis. Quin immo *Fallopium* ipsum (quem tamen circumforaneorum turbae adungere nolim) addimus dicentem:

„Ego nihil fecisse videor, nisi doceo vos, quomodo quis videns pulcherrimam Sirenam, et coiens cum ea, etiam infecta, a carie et lue gallica praeservetur ^{b)}.“

Ast vero innumerabilis medicaminum farrago, quam parum efficacia sint, satis superque indicat, nec unicum restat, quod, si vere commercium adfit cum impuro vel impura, genuini specifici nomen mereatur. Contractis itaque velis, multum jamjam illi effecisse mihi videntur, qui, denegata omnem virus venerei infectionem tollendi facultate, saltem illam imminuendi dederunt praecepta. Quorum exempla sequi, et mihi

^{b)} *Fallopium* de morb gall. Cap. 89.

mihî nunc liceat, semper tamen ad illam solum infectionis viam respicienti, qua, qui coitu impuro uti sunt, ingrediuntur.

Virus venerei propagatio imminuitur:

- a) *Cura parentum, paedagogorum etc.* seu educatione in illum finem instituta, ut omnino coitus quisque illegitimus praecaveatur.
- b) *Cura singuli cujusdam individui*, seu recto prophylacticorum usu, coitus ipse dum prohiberi nequit.
- c) *Cura Politiae*, ita ut
 - α) matrimonia, quantum fieri potest, promoveantur, ac deinde
 - β) ut lupanarium, publica auctoritate sancitorum, cura et inspectio ea, qua par est, industria et assiduitate habeatur.

En rerum, hisce in pagellis tractandarum, ordinem!

SECTIO I.

MONITA QVAEDAM, QVOMODO JUVENILIS
AETAS A VENERE ILLICITA, EDVCATIONE
IN HVNC FINEM RITE INSTITVTA,
SIT. COERCENDA.

Optimum sane, infectionem veneream evitandi, medium est abstinencia ab omni commercio cum puella, corpore suo quaestum faciente. Ast vero tam ardua res est, ut forsan secundum nonnullorum sententiam in rerum natura locum non habeat. Nonne ita que forsan prorsus silentio praeterenda? Neutiquam. Paulo potius e contrario progrediamur ulterius, statimque utilitas inde oriens elucescet. Ducimur enim

- 1) ad praeceptum istud *Astrucii*: „Invigilent ii, „ad quos cura de moribus pertinet, ut coecos „mortalium animos ab impudicitia avocent monitis, praeceptis, documentis.“
- 2) vero: curent et medici, ne perverso rerum non naturalium usu, pravis consuetudinibus &c. cupiditatum libidinosarum, venerisque vulgivaegae praebeatur occasio.

Quid

Quid paedagogorum, parentumque humeri hac in re ferre valeant, ipsi curent; in eo solum haereo, ut ostendam, quid medicus possit. Istius autem est, eo invigilare, ne nifus sexualis iusto ocyus excitetur, pubertatisque tempore limites suos excedat. Excitatur autem;

- 1) omnibus illis efculentis, quae nimiam lautorum humorum parant copiam.
- 2) Sanguinis congestionibus versus illas partes frequentioribus.
- 3) Genitalium irritabilitas et sensilitas dum augeatur, e. g. manipulatione etc.
- 4) Imaginatione, repraesentatione lubricarum rerum corrupta.
- 5) Irritamentis consensualibus e. g. vesicae urinae, et intestini recti impletione, flatibus etc.

Quae adhuc restant variae acrimoniae, ut acrimonia rheumatica, arthritica etc. ac reliqua irritamenta ad aegritudinem magis, quam ad sanitatem pertinentia, taceo.

Nulla

6

Nulla re itaque impeditus ad specialem rerum huc pertinentium expositionem progredior. Primum autem locum obtinet

DIAETA.

Diaetam lautam veneris infomniis valde favere, res est omnibus cognita. Ipsa enim bruta hujus veritatis documento sunt. Vnde illorum exaltata sagacitas, unde major ista lascivia, venerisque cultus verno et aestivo tempore, nisi passus tunc abundantia sit causa?

Quare absint omnia esculenta valde nutrientia a juvenum tabula. Spermatis enim copiam augment, mentemque veneris ideis pascunt. Cavendum tamen, ne quid nimis, ac respiciendum ad cujusvis individui vitae genus, digestionis vires, aetatem. Rustici labores, desesque urbanorum vita longe variam desiderant diaetam.

Absint omnia irritantia, aromatica, spirituosa, volatilia, suaveolentia, omnes carnes duriores, fumatae, salitae. Removeantur omnia crassa, farinosa, caseosa, flatulentiam gignentia, ac tandem quaevis in vias uriniferas agentia.

Tan-

Tandem memor sis, quod opipara mensa mox ante cubitum quietem nocturnam turbet, ac nisi majora sequantur, tamen tunc accidat, quod asserit ill. *Frank*: „Wer wachend widerstrebt, wird oft im „Schlase beschämt c).“

Non possum, quin adhuc immortalis *Halleri* de juvenum diaeta sententiam pro coronide asseram: „Victus rationem in juventute vellem abstemiam, „vinum enim medicamenti genus est, aquam natura „ad nostros contemperavit usus. Cum parca carne „multum plantarum suaderem, paucos sales, pauca „aromata, nullas tetrapetalas, nastureinas; sed in uni- „versum parciozem victum, qui melius coquitur, ne- „que corrumpitur, sanguinemve inficit, quem mitem „et sanguini infantili similem desidero d).“

DE CORPORIS EXERCITATIONIBVS.

Inprimis vero corporis exercitationes non negligantur, quod praesertim ditioribus dictum sit. Plebeji raro laboribus moventibus, concutientibus carent. Puer pilam jaciat, globulis ludat, ambulet, equitet, saltet,

c) *Frank* System einer vollständ. med. Polizey. T. I. p. 98.

d) *Halleri* element. phys. c. h. T. VIII. libr. 30. p. 119.

faltet, navet etc. Adultiori rerum naturalium cupido botanifantium munera imponerem. Puella domesticis rebus interfit, locoque chartarum luforiarum, historiarumque romanensium scopas sumat. Illa enim laborum dos est, quod non solum corpus roborent, irritabilitatem nimiam, sensilitatemque praeternaturalem avertant, humorum accumulationem minuant, sed et quod mentem seriis occupent, libidinosisque cupiditatibus frenum imponant,

DE SOMNO.

Nihil autem tantam juveni adfert calamitatem nisi somnus ad meridiem prolongatus. Naturae satis est etiam parum, nec ultra sex, vel septem, somni horas desiderat. Quid itaque infelix semisomnis tempus perdis? Non dormis, quid oculos claudis? Multus dies est, cur tenebrae aegyptiacae circa cubile tuum? Attendas quaeso, ne tum imaginationi nimis faveas; latissimum enim illius imperium, dum nullis avertitur mens ideis, ac quicumque sensuum quiescit externorum. Labefacta autem imaginatione et corpus labescit; arctissimum nempe est inter utrumque inprimis et genitalia vinculum. Adde, quod somnus, nimis prolongatus, polychymiae faveat, semi-

feminis secretionem acceleret, augeat, fecum et urinae retentaram stimulo vesiculas feminales irri- tet, erectiones cieat, ac tandem ad venerem ipsam invitet.

DE LECTIS ET VESTIMENTIS.

Calor quisque accumulati spermatis stimulum adauget. Probant haec aves, quarum testiculi in abdomine latent, probant et illi homines, quos *κρυψόρχιδας* vocant ^e). Ita quoque feminae tempore verno frequentius concipiunt, quam reliquis anni mensibus, teste *Hallero* ^f). Patet autem ex dictis et artificialis caloris noxa, ut lecto- rum, quorundamque vestimentorum. Quare recte monet *Tissot* :

»Molliora lecta sedulo vitare necessum est;
 »damnandae culcitae ex plumis, aut lana, nec ad-
 »hibendae, nisi quae tomento, aut palea, confician-
 »tur: Profuit pluribus, talem culcitam tegere
 »corio, ut omnis calor praescinderetur ^g). «

Ad

^e) cf. *Sinibald* Geneanthrop. Lib. III. Traçt. II. Cap. II. p. 290.

^f) *Haller* l. c. T. VIII, Sect. XIX. §. 8.

^g) *Tissot* Opusc. med. ed. *Balding*. Tom. I. p. 205.

Ad *vestimenta* quod attinet, aucti caloris praecipue in braccas cadit opprobrium. *Duplex* autem illarum est *agendi modus*, nempe :

a) inferiorem abdominis partem comprimunt, eoque sanguinis congestionum inprimis versus genitalia sunt causae. (Eadem virtute et sexus sequioris thoraces gaudent).

b) Calorem sempiternum circa genitalia conservant, ut in eundo triturationem taceam.

Quid itaque num eam ob causam braccae exilio sunt multandae? Sunt, qui putarunt, consuluerunt ^{b)}). Ast vero quid effectum sit, in aperto est, quare, si quid omnino faciendum, tam inveteratae consuetudini nil, nisi melior braccarum forma est opponenda. Lato itaque cingulo gaudeant, leni modo constricto; interne subductae sint linteo, ne calor, necessario major, oriatur, ac tandem ita sint compositae, ut nulla adsit circa genitalia tensio. Nec concedendum est indusium tam vastum et longum, ut, quod forsan adhuc restet spatii, illo impleatur. Hisce fomentis artificialibus natura non indiget.

CON-

b) *Faust*, wie der Geschlechtstrieb der Menschen in Ordnung zu bringen etc. Braunschweig 1791.

CONSORTIVM AC SOLITVDO.

Quae consuetudo juvenis cum aliis sit, quid in solitudine agatur, educatores attendant. Noscitur, ut dicunt, ex socio. Nihil enim difficilius, nisi data occasione, postulante ipsa natura, rationem sequi, venerisque illecebras effugere. Quin immo licet adhuc sociorum turbae venus non intersit, non raro sola petulantia scelerum turpissimorum fuit genitrix. Cave tamen, ne solitudinem hanc ob rem nimis facias. Nam et in illam, quas nactus es, libidinosae repraesentationes te comitabuntur, estque ipsa, quae dulcem istam prohibitarum voluptatum proclivitatem auget, nutritque. Quo magis in solitudinem se recipiebant Eremitae aegyptiaci, eo magis spiritus fornicationis (Unzuchtsteufel) eos invadebat ¹⁾. Ita *Moyyses* aegyptiacus (secundum *Heraclidem*) per sex annos quavis nocte apertis oculis, orans, medium cellae suae tenebat, et tamen ne sic quidem illo, quo laborabat malo, potuit deliberari. — Quos commendatos velim, animi et corporis labores, optimum hoc in casu veneris illicitae sunt antidotum. Otium vitiorum est parens, solitudo faultrix.

QVAE-

1) *ZIMMERMANNS*, über die Einsamkeit. T. II. p. 225.



QVAEDAM EDUCATIONIS VITIA, E PRAVIS
CONSVETVDINIEBVS ORTA.

Pessima est ista nutricum consuetudo, prope-
rante manu parvulorum inguina titillandi. Inde
orientur necesse est irritabilitas aucta, congestiones
continuae ad genitalia, iustoque tandem ocyor fe-
minis secretio, accumulatio. Quod enim a nutri-
cibus est inchoatum opus, continuatur demum a
parvulis ipsis. Fit ex illo consuetudo, e consuetu-
dine natura. Omnia vero, et quidem jure merito-
que eo tendunt paedagogorum studia, ne ante le-
gitimum tempus instinctus ille sexus excitetur. Ni-
hil autem magis teterrimae frequentissimaque favet
onaniae, quam copiosa partium istarum, magna jamjam
sensibilitate praeditarum, irritatio; nullus tandem ve-
neris vulgivagae major est stimulus eodem vitio.
Quod itaque ne concedatur, parentes invigilent.

Alterum educationis vitium saepe saepius hoc est,
quod parvuli utriusque sexus absque omni decori cul-
tu coram se invicem denudentur, eundemque lectum
occupent. Haec infantum innocentia excusari, non
ignoro. Quam perversa autem haec sit opinio, Psy-
chologia docet.

Porro

Porro non semper quam optime infantibus est consultum, quando ubivis locorum parentum perpetui sunt comites. Domi remaneant, nisi, quales sint, cum quibus consuetudinem habes, exacte scias. Haud raro convivium obscœnis canticis trepit: pudenda dictu spectantur. Discunt hæc miseri antequam sciant vitia esse ^k). Quam maxime autem ratione spectaculorum cantus sis; simul enim et imaginationem et sensus externos afficiunt, ideoque illorum noxa eo major. — Nec minus attendas, ne, quos tu legis, libri promiscue in infantum incidant manus. Curiositas semel excitata non quiescit, usquedum detecta sunt, quae latebant.

Denique, qui sint effectus e clysmatum abusu oriuntur, quae damna, dum foculis (Feuerkicken) genitalia calefiant, aut posteriora virgīs caedantur, patet. Fusius autem de hac re disputatum est in libris sequentibus: Schaden und Mißbrauch der Clystire. Ein Gegenstück zu des H. Leibarzt *Kaempfer's* Abhandlung für Aerzte und Kranke, durch eine neue Methode die hartnäckigsten Krankheiten des Unterleibes, u. s. w. zu heilen. Leipzig 1789. p. 25 sq. — Allgemeine Revision des gesammten Schul- und Erziehungswesens, herausgegeben von *Campe*. T. VI. et VII.

Tan-

^k) *Quintil.* l. c. C. II.

Tantum de praeceptis medicis huc pertinentibus. Antequam vero ad alteram hujus tractatus partem progredior, illud adhuc in medium proferre liceat, quod quidem paedagogis dictum sit, illorum esse, opportuno tempore

a) coloribus adaequatis depingere infectionis venereae sequelas,

b) ex illustrissimorum medicorum testimoniis affirmare: nullum hucusque adesse contra hanc infectionem, qualiacunque medicastrorum sint arcana, specificum,

c. coitum quemvis, licet cum non impura vel frequentia nocere ¹⁾, vel tamen, nisi omnis honestas, omnisque virtus abjectae sint, serius ocyus animi pathemata habere comites,

SECTIO

¹⁾ Fr. Hoffmann d. de morbis ex nimia et intempestiva venere oriundis.



SECTIO II.

DE REMEDIIS SIC DICTIS
PROPHYLACTICIS.

Omnia infectionis venereae curatio prophylactica eo tendit, ut hujus miasmatis in corpus humanum actio vel suspendatur, vel tamen, quod si fieri nequit, solidorum reactio, humorumque materialis alteratio impediatur. Non superfluum itaque erit, ad remedium, infra enumerandorum, vim et virtutem intelligendam, paucis antea de infectionis ratione loqui.

Virus venereum esse fixum ^{m)}, neque per aërem, neque per pulmones, ventriculumque homines invadens, quisquis facile concedet. Sola corporis peripheria ⁿ⁾ infectioni est exposita. Ast vero et hic est modus. Requisita enim, ut morbus venereus ab uno in alterum transferatur, sunt sequentia:

a) Virus venereum attingat partem sensibilem, tenui epidermide praeditam.

b) Hicce

^{m)} De quo quidem dubitat *Grützmacher*. vid. ejus Comment. de miasmatis venerei indole. Jenae 1789.

ⁿ⁾ *Swedianer*. Practische Beobachtungen über hartnäckige und eingewurzelte vener. Zufälle. p. 9.

b) Hicce contactus fiat immediate atque per tantum temporis spatium duret, quantum sufficit ad partem formalem morbi efficiendam °).

En causas, cur inprimis glans penis, praeputium, clitoris, labia vulvae, vagina, labia et cavum oris, nares, oculi, mammae etc. prae ceteris corporis partibus inficiantur, ita tamen, ut, qua parte contactus et societas est, ab ea maxime infectioprehendat et initium ducat p). En et rationem cur ob breviorum contactum quemvis coitum impurum non semper gonorrhoea etc. subsequantur. Tenera solum neonatorum fabrica exceptionem patitur. Major enim illorum sensibilitas, tenuior circa totum corpus epidermis, facilius itaque et in quavis parte infectio.

Verum tamen ad curationis prophylacticae indicationes ex modo dictis sequentes, jamjam progredior.

Prima indicatio. Impediatur quominus virus venereum immediate partem sensibilem, irritabilem, attingat.

Secun-

o) Astruc l. c. Libr. II. Cap. II.

p) Fernelius. De morb. gallico Opuscul. p. 610.

Secunda indicatio. Coitu peracto virus remotio
quam celerrime instituat.

Tertia indicatio. Sensibilitatem, irritabilitatem-
que imminuendo, partes infectioni maxime expo-
sitae ad virus suscipiendum minus reddantur
idoneae.

Prima indicatio.

*Impediatur quominus virus venereum imme-
diate partem sensibilem, irritabilem attingat.*

Remedia huc pertinentia sunt:

a) *Pinguia.*

α) Vnguenta sine mercurio. *Falk, Harrison,
Waren.*

β) Vnguenta cum mercurio, e.g. Vngt. nea-
polit. *William Fordyce, Perenotti di
Cigliano.*

b) *Oleosa.*

α) Olea pura.

β) Olea cum mercurio conjuncta. *Fordyce,
Astruc.*

B

c) *Mu-*

c) *Mucilaginosa.*

d) *Applicata ad penem pellicula in formam vaginae efficta (gall. Condons).*

Quae laudata sunt remedia, omnia in eo conveniunt, ut epithelio quasi partes infectioni quam plurimum expositas subducant. Nulla enim mercurio, ut prophylactico, specifica in virus istud vis. Illorum itaque virtus nonnisi inde erit repetenda, quod hujus virus immediatam actionem coerceant. Nihilominus tamen electio in praxi est instituenda. Unguenta enim locum infectioni maxime obnoxium — fossam navicularem nempe — non attingunt, quare carolorum ortum quidem nonnunquam praeveniunt, num vero et Gonorrhoeae? Id, quod non cadit in olea. Involvunt enim non solum, ut obstetricum digitum, quasvis partes externas, sed et in urethram possunt injici. Verum enim vero cave, ne te et hic quidem irruenti periculo salvum putes. Frictione nempe epithelium istud tenuissimum solvitur, omnisque rursus infectioni patet via. Adde, et meretricum animos esse disponendos, nec haud raro licere, unguenta et olea domo nobiscum afferre. — Quare inter omnia folliculi isti ultimo allegati, ut praestantissimum reme-

remedium, saepissime a gaeconibus in usum sunt vocati. Quid vero de illis statuendum sit, *Astrucium* (1. c. Libr. III. Cap. II. pag. 183.) allegasse sufficit.

Secunda indicatio.

Coitu peracto virus remotio quam celerrime instituat.

Quod quidem fit

a) *Lavatione inguinum fluidis blandis, ut*

- 1) Aqua pura per se, vel lacte admixto. *Anton Musa, Brassavolus, Richter, Perenotti.*
- 2) Infuso rosarum alb. etc. *Perenotti.*
- 3) Saliva, *Fallopium.*
- 4) Lotio, *Fallopium, Palmarius, Harrifon.*
- 5) Aqua destillata, e. g. Namphae, Guajaci etc. *Fallopium, Thierry de Hery.*

Cuius hinc enumeratorum medicaminum nonnisi haec est agendi ratio: ut, quod post coitum impurum genitalibus haesit virus lavando una cum illis discedat.

Hiscæ autem impeditur, quominus virus istud resorbeatur vel quominus, secundum aliorum sententiam, talis impressio nervosa oriatur, quæ requiritur ad morbum venereum procreandum. Mundities itaque præprimis erit commendanda, quamvis fuere, qui nihili, vel parum tamen illam fecerunt. Cum vero minime evictum sit, virus venerei contactum momentaneum statim sequi infectionem, sed e contrario semper fere aliquod temporis spatium præterlabi, antequam solidorum reactio oriatur, mundities omnino primariis curationis prophylacticæ remediis erit inferenda. Palmam vero eo sibi vindicavit, licet alias neque securissimum neque optimum sit prophylacticum, quod et ab imperitissimo absque omni noxa possit adhiberi, neque continuato usu detrimenti quid adferat.

Vt vero mundities laudata præstanda præset, non sufficit, ut, quod plerumque fit, properante manu genitalia abluantur, sed imprimis eo videndum est, ne circa præputium ac præsertim circa illius internam et glandis superficiem externam virus remaneat. Huic et injectiones sunt jungendæ, vel tamen penis in vitrum aqua repletum pendendus, ac leni modo digito premendus, ut ad fossam usque navicularem perveniat fluidum.

Singu.

Singularem forsan quod attinet medicaminum hic allatorum utilitatem, nullam video. Omnibus hunc in finem eadem vis eademque virtus. Neque Guajacum peculiari gaudet efficacia, quod enim in huc manifesta, quod de interno illius usu valet, num idem et in curatione prophylactica et de externa applicatione necesse est ut valeat? Minime vero Guajaci actio ut praeservativa cogitari potest, sicuti et experientia nullam singularem illi tribuit utilitatem. Idem autem in omnes quoque cadit aquas destillatas, infusa, decocta.

b) *Lavatione et injectione remediorum irritantium.* Huc pertinent :

- 1) Aqua calcis vivae. *Girtanner*, al.
- 2) Solutio alcali volatilis. *Peyrilhe*, *Cyrillo*.
- 3) Solutio falis alcali caustici. *Waren*, *Mederer*, *Fordyce*, *Hunter*, al. — Solutio lapidis caustici, *Balfour*. — Lixivium causticum, *Eustachius Rudius*.
- 4) Lixivium saponariorum. *Perenotti*. — Aqua saponacea et spiritus, *Kern* 2).

5) Aqua

g) *Kern*. Diff. de infallibili remedio prophylact. siphyleos. Friburg. 1777.

5) Aqua vegeto mineralis. *Preßauin.*

Theoria et experientia duce, irritantia prae ceteris prophylacticis sibi vindicarunt locum. Duplici autem modo agunt, nempe:

- α) ita ut more aquae purae, destillatae etc. virus venereum abluant, et tandem
- β) ut secundum illorum vim irritantem fermentationem augendo pestiferum istud virus ex internis quasi penetralibus expellant, secunducant, evacuent.

Ad singularem medicaminum virtutem si respiciamus, solo forsan gradu differunt. Leniora enim sunt aqua saponacea, aqua calcis etc. fortiora e contrario sal alcali causticum etc. — In illorum itaque usu id praecipue erit observandum, ut, pro diversa corporis irritabilitate et sensibilitate, electio fiat, vel si huic vel illi magis confidis remedio, ut ad corporis habitum, sexum etc. respiciens, heroica supra enumerata plus minusve diluta adhibeantur. Ceterum non est, quod uberius sim, quam illi *Girtanner* alii-que quam optime jamjam de hac re differuerint. — Sequentia tamen adhuc adjicere liceat:

α) Et

α) Et haec laudata remedia omnem infectionem non tollere. Minime enim explanatum est, quantum temporis spatii requiratur, ut solidorum reactio, ideoque pars formalis morbi subsequatur. Major autem corporis sensibilitas, tempus diei ipsum, quo coitus celebratur, ebrietas, aliaque accidentia ita forsitan infectioni favent, ut citissimus illorum usus impressioni nervosae, vel si mavis, resorptioni, non praeviat. Adde, virus venerei quantitatem, vel majorem minoremve acrimoniam γ) parum fortasse ad infectionem conferre. Semper adeo quaeritur, num omnibus quoque prophylacticis adhibitis ne vestigium quidem remanserit?

Tandem istorum medicaminum qualitas ipsa saepe saepius causam praebet, cur vana sit illorum sperata utilitas. Nimis enim diluta solutio e. g. lapidis caustici chirurgorum nonnisi fere ut aqua pura agit; concentrata autem inflammationem gignit

γ) Quod affirmat *Hunter*, Abhandl. über die vener. Kr. p. 25. negat *Girtanner* l. c. T. I. Divis. II. C. II.

gignit, secretionem supprimit, eoque infectioni magis favet, ac illi est contraria.

β) Eo magis *προφιλάξeos* evanescit spes, quo tardius post coitum suspectum haecce adhibentur remedia.

γ) Continuatus illorum usus vel irritabilitatem, sensibilitatemque imminuit, vel omnino partium secumfert destructionem.

Tertia indicatio.

Sensibilitatem, irritabilitatemque imminuendo genitalia ad virus suscipiendum minus reddantur idonea.

Ad hoc efficiendum laudata sunt:

1. Vinum calidum, *Ioan. Benedictus.*

2) Oleum terebinth. in vino calido solutum, *Ettmüller.*

3) Aqua, cui acetum vini est admixtum. *De Malon, Nicolaus Massa.*

4) Acetum vino junctum.

5) Dilo-

- 5) Diluta acetositas citri, *Bayford.*
- 6) Solutio aluminis, *De Malon.*
- 7) Acetum Lithargyrii, *Hunter.*
- 8) Solutio viridis aëris in sale ammoniaco.
- 9) Solutio mercurii sublimati corrosivi, *Hunter, Harrison*, (l' eau fondante de Prével, f. aqua phagedanica).
- 10) Solutio mercurii tartarifati. (eau vegeto-mercurielle de *Pressavin.*)
- 11) Solutio mercurii dulcis in aqua pura, *Falk* — in aqua plantaginis, *Carol. Musitanus*
- 12) Solutio mercurii dulcis in saliva. *Affalini.*
- 13) Solutio mercurii gummosi *Plenkii, Plenk, Perenotti.*

Inter omnia, quae hucusque allata sunt remedia, haecce ratione utilitatis ultimum occupant locum. Perquam enim difficile est, absque incommodo, noxisque haud levibus artificialem tantam producere irritabilitatis eclipsin, ut difficultas inde infectioni venereae oriatur. Quod e sequentibus patet rationibus :

1) Ne-

- 1) Necessè est, ut hæcce remedia longe ante suspectæ veneris usum iteratis vicibus adhibeantur, quibus raro quis sese submittit.
- 2) Leniora, ut vinum etc. parum hæc in relatione efficiunt. Nonne enim coitus actus sensibilitas, etiamsi quodammodo antea imminuta sit, rursus exaltatur, ideoque infectionis periculum unum idemque?
- 3) Heroica inflammationem, exsiccationem, partium destructionem etc. sibi habent comites.
- 4) Tandem hisce sepositis, expectata in conubio voluptas prorsus demum illis evanescit.

Ceterum, cum talia in quodvis hujus classis remedium cadant opprobria, non est, quod singulatum de illis verba faciam.

Quæ quidem sunt prophylactica memoratu dignissima. Reliqua levidensiora, falsisque theoriis nitentia transeo, quemadmodum et illa, quæ omnino genuit ignorantia, præjudiciumque aluit. Talia sunt *Torellæ*, *Eustachii Rudii*, *Agathi*, *Montui* al. consilia, de quibus evolvendi sunt *Astruc* l. c.

p. 480 sq. *Girtanner* l. c. Libr. II. et III. *Hensler* l. c. Libr. I. p. 234. et 239 sq.

Quem secuti sumus ordinem in remediorum, a *Widmanni* et *Tovellae* temporibus usque ad nostra, laudatorum dispositione et locatione ille erat, ut ad circumstantias quasdam, venereae infectioni faventes, quibus erant opposita, solum respiceremus. Numne alia via sit ingrediendum, eaque securiore, omnino quaestio est. Quis autem virus veneri naturam novit ^{s)}, aut cui certe explanatum est, qua ratione in corpus humanum agat, ibique multiplicetur ^{t)}? Quae autem quum ita se habeant, ideoque nec medicamina inde sint repetenda, malui rationem sequi, quam hypotheses sectari.

Tantum vero de remediis sic dictis prophylacticis. Restat adhuc, ut de matrimoniis promovendis, ac de justa lupanarium institutione loquar. Quum vero scopum nostrum ulterius prosequendi nec tempus nec otium sit, pedem hic figimus.

s) *Hunter* l. c. Th. I. Hauptstück I. Abschn. 3. *Swedianer* l. c. Cap. I.

t) cf. *Astruc*, *Hunter*, *Reil*, al.

T H E S E S.

Nonnisi raro morbi venerei infectio sine
peractō coitu locum habet.


Lupanaria publica e civitate radicētus ex-
stirpanda non sunt.

Causa neonatorum mortalitatis in lupana-
nariis majoris, frequentiorumque abor-
tuum, non tam in lupanariorum natura,
quam in illorum neglecta cura ac inspe-
ctione, est quaerenda.

1078

PICA





DE

31

INFECTIONE VENEREA IMMINVENDA

ILL

ME

ERN

